

Vorbemerkung:

Der folgende Text ist in angemessenes Deutsch zu übersetzen und durch Beantwortung der unter II. gestellten Aufgaben zu erläutern.

I. Übersetzung

Carmina qui quondam studio florente peregi,
flebilis heu maestos cogor inire modos.
Ecce mihi lacerae dictant scribenda Camenae
et veris elegi fletibus ora rigant.

5 Has saltem nullus potuit pervincere terror
ne nostrum comites prosequerentur iter.

Gloria felicitis olim viridisque iuventae,
solantur maesti nunc mea fata senis.

Venit enim properata malis inopina senectus

10 et dolor aetatem iussit inesse suam.

Interpestivi funduntur vertice cani
et tremit effeto corpore laxa cutis.

Mors hominum felix, quae se nec dulcibus annis
inserit et maestis saepe vocata venit!

15 Eheu, quam surda miseros avertitur aure
et flentes oculos claudere saeva negat!

Dum levibus male fida bonis fortuna faveret
paene caput tristis merserat hora meum:

nunc quia fallacem mutavit nubila vultum

20 protrahit ingratas impia vita moras.

Quid me felicem totiens iactastis, amici?

Qui cecidit, stabili non erat ille gradu.

1, 1. Haec dum mecum tacitus ipse reputarem querimoniamque lacrimabilem stili officio signarem, adstitisse mihi supra verticem visa est mulier reverendi admodum vultus, oculis ardentibus et ultra communem hominum
5 valentiam perspicacibus, colore vivido atque inexhausti vigoris, quamvis ita aevi plena foret ut nullo modo nostrae crederetur aetatis, statura discretionis ambiguae.

7. Quae ubi poeticas Musas vidit nostro assistentes toro fletibusque meis verba dictantes, commota paulisper ac torvis inflammata luminibus: 8. Quis, inquit,
10 has scenicas meretriculas ad hunc aegrum permisit accedere, quae dolores eius non modo nullis remediis foverent, verum dulcibus insuper alerent venenis? 9. Haec sunt enim quae infructuosis affectuum spinis uberem
15 fructibus rationis segetem necant hominumque mentes adsuefaciant morbo, non liberant. 10. At si quem profanum, uti vulgo solitum vobis, blanditiae vestrae detraherent, minus moleste ferendum putarem: nihil quippe in eo nostrae operae laederentur; hunc vero Eleaticis
20 atque Academicis studiis innutritum ... 11. Sed abite potius, Sirenes usque in exitium dulces, meisque eum Musis curandum sanandumque relinquite!

II. Sprachliche Erläuterungen:

1. Erklären Sie V. 15 *miseros avertitur*!
2. Erklären Sie die Verwendung der Formen *reputarem*, *signarem* und *foverent*, *alerent* (Z. 1 f. bzw. 12f. des Prosa-Textes)!
3. Wie bezeichnet man die vorliegende Textsorte? Benennen Sie formal vergleichbare Werke aus der römischen Antike!